



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemonnd, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Im primis ut populum ad idololatriam perducerent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

jussit, atque ita excucullato venustam juveniculum comitē addidit: quæ postea Crux ipsius fuit. Alium quendam ex Observantium, qui dicuntur, apud Burgalenses Ordine mulieres nonnullæ reformaræ ita sequebantur ac prensabant, ut nuda manicis ipsius brachia immitteret, multis cum suspiriis ac queretis, quod tam venustum, ut erat revera, ac valentem juvenem tam asperum habitu indutum viderent. Quin tanta erga miserum charitate afficerentur, ut pro stramine cui alias incubare solebat, mollissimi sui lecti partem offerrent. Et his quidē artibus uterque ab Ecclesia fuit abstractus. Nam ejusmodi Religiosi tenui admodum filo adstricti, ægre intra claustrorum septa continentur. Illud quidē mirum est, ex quatuorcentis Religiosis millibus, à Luthero ac ceteris tam heresiarchis quàm hæreticis paucos tantum ad apostoliam fuisse pertractos. Sed & hoc admiratione nō caret, quod nostro sæculo tam multi, qui quum in vera sint Ecclesia, etiam in sæculo salutem suam operari, atque interim Mundi commodis uti possent, ultro voluntariæ, & perpetuæ servituti sese mancipant. Initio quidem Religiosi plerique à Calvino seducti, Monasteria non deserebant, sed eodem quo antea usi habitu, proventibus suis fruebantur. Abbas Valentie in religioso habitu hæreseos rudimenta populo pro concione in Gallia tradebat, ut & frater ipsius Abbas Bonnevallensis. Quosdam metus, alios proventus Ecclesiasticos amittendi metus, quo minus Lutheranismum aperte profiterentur, continebat.

Sacerdotes quamvis hæresin sinu foverent, Missam nihilominus celebrabāt. Sed vide hic execrabilem quorundam impietatem, sine ulla consecratione, aut verborum Sacramentalium prolatione, sacra facient. Um. Cujus impietatis Abbas Cleriacensis idēq; Oleronensis Episcopus accusatus, sese purgavit, ac deinde quoties suo modo missificaret, verba consecrationis alta voce pronuntiavit, non secus atque olim factum est, ut in S. Jacobi Liturgia notari, & ex iis quæ Iustinus Martyr in II. sua Apologia scribit, colligi potest. Idem apud Æthiopes Christianos adhuc observari ajunt. Ecclesia vero morem hunc abolevit, & verba illa consecrationis à sacerdote summissa voce proferri voluit, ut magnum hoc mysterium nō ita dispalesceret, aut hac occasione profanaretur. Huic vero statuto simplicitas quorundam causam dedit. Quum enim pastores quidā verba quibus sacerdos corpus Domini nostri consecraret, memoria retinuisent, & unus super prolato e pera pane eadē pronuntiasset, sta-

tim ad verba illa, *Hoc est corpus meum*, pro pane caro apparuit, sed is statim ab igne cœli delapsus fuit consumptus, illis sermonis usu per tēpus aliquod privatis. Hujus miraculi veritate cōperta, Ecclesie decreto statutum est, ut verba illa consecrationis à sacerdote summissa pronunciarētur, ne vulgo eis abutendi detur occasio. Isti vero personati Catholici multo pejus faciebant, panem non consecratū elevantes, & populo cōmunicantes. In Calvinistica Synagoga etiam hodie moris est, ut panis sine ulla benedictione, consecratione aut verborum prolatione communicantibus porrigitur. Quid, quod Calvinus verba consecrationis magica carmina & incantationes appellat? Quæ ejus assecla Viretus non minus venenato, sed novo convicio Magiā vocat. Malo Minister, quē Lutetia post conditum illud à Ianuario mense Edictum, quod Calvinismo latissimam in Gallia fenestram aperuit, concionantem non semel audivi, jacitare solebat, se decem aut duodecim annis Missam sine ulla panis consecratione celebrasse. Equidē minus rectē facturus mihi videor, si quod jam movi dubium sive questionem indecisam relinquam: utrum scilicet populus hostiam non consecratam adorans, & ex altaris sacerdotum manibus recipiens, idololatriā committat, aut defectus hic à Deo suppleatur.

In quo illud primo considerandum est, postquā sacerdos ab ordinario Pastore receptus aut missus est, communi omnium voce ac judicio pro legitimo ac rite ordinato sacerdote habendum, cui Ecclesiasticum ministerium secundum formam, gestus ac ceremonias ad unumquodque requisitas ac præscriptas, exercendi munus incumbat. Unde populus quantum ad legitimā sacerdotis vocationē seu missionē, nihil amplius indagare, sed eum qui à Superiori datur aut permittitur recipere tenetur præsertim si nullæ ad id munus necessariæ dotes in eo desiderantur, ipseque in externis idem fecerit, quod in officio isto quam optimè exercitati. At si idē suo arbitratu Pastores ac sacerdotes sibi eligat, unguis canis à lupi unguibus nihil discernēs, culpa expers non erit. Sic enim omnis generis homines, apostatas & alios, immo etiam qui sacerdotes nondum sunt, ad tam sacrum munus admittens, ut in Germania olim factum est, ubi à reliquo populo sublata scilicet cœlibatus lege, sacerdotes discerni vix possunt, ipse sui mali causa erit, ut qui legem atque ordinem à Deo proscriptum violant. Hanc ergo culpam sua ipsorum levitate vel credulitate potius contractam, sibi ipsis imputabunt.

Præ-